

Fulgebit speculo levior illa suo.  
 Nec tu pallentes dubita torrere lupinos,  
 70 Et simul infantis corpora frige fabae:  
 Utraque sex habeant aequo discrimine libras,  
 Utraque da nigris comminuenda molis;  
 Nec cerussa tibi nec nitri spuma rubentis  
 Desit et Illyrica quae venit iris humo;  
 75 Da validis iuvenum pariter subigenda lacertis;  
 Sed iustum tritis uncia pondus erit;  
 Addita de querulo volucrum medicamina nido  
 Ore fugant maculas (alcyonea vocant);  
 Pondere, si quaeris, quò sim contentus in illis:  
 80 Quod trahit in partes uncia secta duas;  
 Ut coeant apteque lini per corpora possint,  
 Adice de flavis Attica mella favis.  
 Quamvis tura deos irataque numina placent,  
 Non tamen accensis omnia danda focus:  
 85 Tus ubi miscueris radenti corpora nitro,  
 Ponderibus iustis fac sit utrumque triens;  
 Parte minus quarta direptum cortice gummi  
 Et modicum e murris pinguibus adde cubum;  
 Haec ubi contrieris, per densa foramina cerne;  
 90 Pulvis ab infuso melle premendus erit.  
 Profuit et marathos bene olentibus addere murris,  
 (Quinque parent marathi scripula, murra novem)  
 Arentisque rosae quantum manus unaprehendat,  
 Cumque Ammoniaco mascula tura sale;  
 95 Hordea quem faciunt, illis affunde cremorem;  
 Aequent expensas cum sale tura rosas:  
 Tempore sis parvo mollis licet inlita vultus,  
 Haerebit toto nullus in ore color.  
 Vidi, quae gelida madefacta papavera lymphâ  
 100 Contereret teneris inlineretque genis.....